IVO
PAVPERVM PATRONVS
ORATIO
HABITA IN EIVSDEM TEMPLO AD S.R.E. CARDINALES.

A VIRGINIO DE AMATIS.

Sem. Rom. Clerico.



ROMÆ, Typis Hæredum Francisci Corbelletti. 1647.
Superiorum Permissu.

Nuncio ill. Pallavicino.

15

BEATISSIMO PATRI, AC SANCTISSIMO DOMINO

INNOCENTIO X. PONT. MAX.

VIRGINIVS DE AMATIS FEL.

IVO pauperum pater, si voce nunc vteretur apud mortales optioneque, cuinã potius laudes suas, meritaque commendata vellet in terris, quam tibi Pater Beatissime. Si te priuatum meminimus, IVONI simillimus eras, vterque causas cognoscere, pronus in miseros esse, potentiæque imperuius semper. Iam tum publicis curis exercebas capacem mundi animam, syderum terrarumque imperio quondam suffecturam. Si te principem contemplamur in præsentia, Pontificem esse, an non perinde habetur, ac pauperibus miserisque esse patro-

num? Hinc præclaro titulo te beatissimum, adoratam nominis tui maiestatē beatitudinem vocamus, quoniam nil est beatius inter mortales, quam quod muneris est tui mortalium intercedere calamitatibus. Id vero muneris qua mente regas, qua prouidentia, testis est Roma, quæ te principe nil habet quod speret aut cupiat nisi statum in quo viuit felicitatisq. qua fruitur; hoc est imperij tui diuturnitatem: Testis hybernia in quam sub tuis auspicis nauigauit à Tibride securitas, factumque vt si iam seruire nollet Vaticano, non impia tantum, sed ingrata sit appellanda Ex quibus admonemur, quid sperare te Principe possit Europæ calamitas, si eodem fere temporis, te Pontificem audiuit per famam diuisa ab orbe insula, sensit per beneficia. Verum isthæc auguramur futura, Nunc ea qua polles humanitate IVONIS laudes descriptas hic aspice, (erit cur ignoscatur oratoris infātiæ,) si eas hæc duo ingentia nomina illustrabunt, apud superos IVO, apud homines INNOCENTIVS.

ORA-

ORATIO.

ILLVSTRIA ſpecioſaque apud homines nomina, nobilitas, honor, amplitudo titulorum habent pro parente virtutem. Virtus vero nobiliſſima dicitur eſſe, nec tamen (quippè laboris filia) parentes iactat, aut genus: præclara res eſt virtus, quia fæcunda parens publicæ felicitatis; fæcunditatem ſcilicet iſtam Deus negauit naturæ, indulſit pro dote virtuti, vt eius in thalamum irent amplexuſque quiqumque vellent eſſe felices. Quod ſi in hac fæcunditate ſita eſt nobilitas, ac pulchritudo virtutis, illa quis neget ſpecioſior erit, ac nobilior, quæ fæcundior erit

virtus: Quid autem liberalitate, ac misericordia in bonum cōmune fæcundius? In his perinde habetur viuere, ac parere orbi terrarum beneficia; pro animæ felicitatem habent alienam, pro vulnere, ac dolore miserias.

Age igitur. IVONEM Sanctissimum virum laudaturo mihi pro more institutoque maiorum hodierna die, non placet vniuersas virtutes ad vnam recensere. Sunt magnæ, sunt innumeræ, longeque clarissimæ; sed liberalitati misericordiæque præcipue decet afferre laudum tributa, quia præ cæteris fuere beneficæ, posthuma gratæ mortalitatis dona illis virtutibus nominatim debentur quæ peculiari sibi nomine vindicant gratiarum remunerationem. Non hic igitur Sanctimoniam loquor illam sibi natam, sibi viuentem, sibi demum morituram, sed regales, sed heroicas diuinasque virtutes in IVONE Contemplor. De quarum prius excellentià naturàque sic dissero.

Quid est Auditores liberalitate misericordiàq. præclarius? quid excelsius? quid diuinius? paupperies morbus est quidam generis humani, plane necessarius; omnes enim Deus voluit esse pauperes, vt in omnes ipse posset esse liberalis; hæc igitur præter omnes supremo numini placet laus, rerum hominumque intercedere calamitatibus; ipsumque regnare non per fulmina credi, sed per beneficia; nec mirum si necessario diues necessa-

necessario liberalis est Deus, tantumque abest ab auaritia quantum abest à paupertate; sed liberalitas in Deo splendida, perdifficilis est in nobis. Atqui (quemadmodum sapientibus placet,) Res illæ quæ plus habent difficultatis, plus habent etiam honestatis, si aut vtiles sint, aut necessariæ: sic consulente natura, vt nimirum honestæ pulcritudinis illicio laboris redimerent asperitatem. Quid igitur liberalitate prestabilius erit? Quid honestius misericordia? Vnoquoque miserias alienas alleuante pauci erunt miseri, si plerique erimus misericordes: Quis pauper esse posset in orbe terrarum, si nemo esset auarus? quis infelix si nemo crudelis? exularet itaque e terris omnibus inopia, si exularet auaritia, idcirco enim necessaria multis desunt quia plerisque non sufficiunt. Perge vero. Quanta liberalitatis est misericordiæque difficultas. Hoc efficit liberalitas, vt, qui accipit pauper esse desinat, incipiat quodammodo qui largitur, quis verò mederetur vnquam alienis malis, si opus esset morborum partem in se transferre, vt alius conualesceret: liberalis auferendo miserias alienas, imminuit felicitatem suam, munera cæteris indulget, isque, emit sibi paupertatem, quid potest esse difficilius? Sed ad IVONEM quid attinet hæc in præsentia memorari, erraui scilicet, si de illo loquamur; erraui, non fiebat IVO miserior, cum fieret ex

 mise-

miſeratione pauperior ; prima felicitas IVONIS erat pauperes facere felices, eſt autem felix miſericordia, felicitate non ſuà, dum cæteros beat, ipſa beatiſſima, illam tantum poſſidet, quam largitur alijs beatitudinē. Vidiſſes IVONEM pauperibus, hoc eſt humani generis calamitatibus vndique ſtipatum incedere lætabundum, dum ſitientibus vinum propinabat, ipſe ſuam extinguebat ſitim, dum famem ſedabat alienam ipſe ſatiabatur; felicem ſe dixiſſet IVO, ſi omnes pauperum miſeriæ, eius in ſinum conuolaſſent, eamque libens inopiam fuiſſet amplexus, quæ pauperum euolaſſet e gremio, quamorbem exhauſto ærario (qui enim poſſent vnius bona cum tot hominum certare miſerijs) incipiebat agnoſcere nuditatem ſuam, ſeque miſerum fateri, quia ſubuenire non poterat alio rum miſerijs. Per pauperum tecta debaccabatur impune calamitas. IVONE non armato; eum interim ille diuinitus cumulatis opibus, ipſoque numine liberalitatis ſub ſigna mittente prodigia, expellere miſerias, fugare morbos, aureoque charitatis inundante tanquam pactolo e tugurijs exturbare paupertatem, & quaqumque incederet copiam, ſaturitatem, gaudia, diſpenſare. Quod ſi liberalis in pauperes IVO fuit hoc eſt in Deum; numquid IVO cum Deo, quam cum IVONE Deus potuit eſſe liberalior? Exceperat hoſpitio IVO pauperem

eturn

 18

e turba squallidum, ac sordidum, iamque recreabat cibo, fouebat amplexu, mortemque e vulneribus erupturam osculis animabat; cum ecce squallor abit in lucem, sordes in solem, vulnera, micant in stellas, seque natiua prodit maiestate diuinitas incola cæli syderumque, hospes IVONIS. Hæc suprema diuinitatis est liberalitas, accipere dona mortalium, nunquam enim donat vberius illa, quam dum accipit; tunc est prodiga sui, cum se fingit appetentem alieni. Sed quid vnum memoro liberalitatis argumentum in IVONEM Dei, IVONIS in pauperes: Quoties IVO sua fame, suà siti pauperum emit satietatem? Quoties Deus IVONIS fami sitique per prodigia voluit esse elementa naturamque vectigalem? Quoties ille algentem occupauit tellurem; vt nocturnorum hospitum pauperum somnos quietemque lina fouerent? Quoties Deus inusitatæ dulcedinis æstu interpellauit IVONIS somnos, algentem fouit, animauit examinem? Quoties demum IVO in os ægrorum per ereptos necessitati suæ cibos instillauit vitam, vnàque cum herbis, ac liquoribus salubritatem animamque infudit in vulnera? at Deus morbos, calamitates, mortemque monstrum illud cæteris imperaturum seruire iussit IVONI. Facessant hic voces illæ, quæ paupertatem irato Cælo natam dicunt, antequam natam ream, naturæ vel læsæ, vel auctorem

rem

rem ſumm. lædentis, fatalique traditam neceſſitati puniendā, faceſſant inquam; neque paupertatem pudeat, habuiſſe pro nouercà naturam, ſi adoptatur in filiam à virtute: aufert illam IVO nutricis improbæ, hoc eſt paupertatis e ſinu, adoptat in ſuam, patrimoniumque largitur in dotem. Quod ſi pauperum pater fuit ille, qualem putatis fuiſſe pauperum iudicem. Iraſcitur mortalium potentia, ſi non admittatur ea iubente ab humano iudice ſcelus, in eamque reus eſt, qui reus eſſe negat in Deum, potentiæ iura violas, ſi ius omne non violas: ſed IVO in pauperum tantum cauſis agnoſcendis poterat eſſe ſuſpectus; infirmitas pro munimento erat, pro accuſatore potentia, fatale fuiſſet diuitibus eius tribunal, ſi eſſe potuiſſet iniuſtum; quando ex cauſam dicentibus alter erat pauperior, alterius cauſa iuſtior, tunc enim vero magno ſe iudice tuebatur quiſque, ille miſericordia, hic iuſtitia; expectantibus omnibus melior ne foret IVO pater, an iudex; iuſtitia vincebat, at non incruento certamine, plorabat miſericordia, quia cædere cogebatur ne eſſet iniuſta, ſuſpiranſque abibat campo, gemens, ac dolens cum potentia coniuraſſe iuſtitiam, cui nec ipſa poſſet obſiſtere nec vellet, & quod iuſtitia pauperibus auferebat ex alieno, reſtituebat ipſa de ſuo; obſtupuiſſes ſuſpendentem vota ſua pauperem, ac plerumque vinci malle quam vincere, vt credi-

tor IVONIS euaderet, qui cum fœnore debere se putabat paupertati, quæcumque cogebatur auferre. Sed à forensibus ad militares quodammodo strepitus oratio mea se transferat. Pugnauit IVO pro pauperibus in foro, pugnauit etiam in campo, illic armatus legibus, hic fortitudine, vbique insolenti potentiæ infestus, vbique victor.

Excurrebat per Galliæ campos prædabunda militum manus, ex ijs qui sibi putant licere quicquid impune possunt facere, hi per summum scelus aurique detestandam libidinem vbique submouere templorum custodes, aras diripere, spoliare diuinorum imagines, nihil intactum relinquere, nihil Sacrosanctum. ast vbi ad templum peruenere in quo erat IVO; abiret ne ille facilemque prædam relinqueret insanæ licentiæ pauperum patrimonium, an potius aduersus armatos prædones staret inermis, & solus? non abijt IVO non abijt, nec poterat inermis esse cui pro telo erat mortis contemptus. Vt vidit cominus accedentes, vt arsit igne diuino, armauitque nobiles iras, hæc in improbos prædones ore fulmina iaculatur.

Quo tenditis nefarij satellites? In quodnam scelus (Deus Immortalis) erumpit mortaliũ audacia, huccine aurum argentumque congessimus, vt vestra stupra, vestras libidines alat; prætiosæ sunt aræ, ne desint militibus irritamenta peccandi?

di? Si tot mortales pij non fuissent, dona superis ferendo, vos non essetis impij cum fænore? quia illi sacra ornauere estis sacrilegi: an militiæ Sacramentum dixistis, vt vagemini impune prædones? in perduelles bellum geritis an in superos? exuite arma illa, proijcite tela, antequam cœlestis vindictæ consumpta fulminibus abeant in flammas: Quid truci vultu siletis, quid me toruis minacibusque luminibus aspicitis? En hoc pectus; mactate prius Sacerdotem, mox aras occupabitis: si viuit IVO nunquam eritis impune sacrilegi, emite hoc scelere securitatem vestram. Quid hæretis? an dubitatis esse crudeles in hominem, qui iam eritis impij in numen? incipite scelus à me, mox venietis ad diuos; certum enim est, hac vita, hoc Sanguine Christi Sanguinem tueri, & quando exanguis animà spirituque impetum vestrum propulsare non potero, cadauere retardabo. Quamquam ò miseri, nulla vos subit formido cœlestium irarum, læsoque numine esse potest impietati securitas? quid hic amplius expectatis? num vt armentur in vos superi quos violatis, instat fatale tempus, exibunt illico in pugnam, ego classicum cano, ego supremi Numinis fecialis, cœleste bellum vobis indico. Miles nisi dictis IVONIS obaudiens confestim exportas ex hoc templo, ex hac ditione pedem, loco hostis habeberis a superis; si hæc extrema dicta immotus

ex-

expectas, reus es violatæ diuinitatis? ad hæc vocum tonitrua excussæ cecidere de pectoribus iræ de manibus gladij; & ille militum globus, ille minax ille ferox expulsus abijt ab inermi. Adeste pauperes, adeste miseri, obuiamque effusi victoriam hanc principi, ac liberatori vestro gratulamini, vicit IVO, sed vobis, triumphet IVO, sed vobiscum: adorate os illud ex quo pauperum securitas salusque feliciter emanauit, contingite victrices manus illas, quæ paulo ante inermes fulminis in morem armatis hostibus minantes, felicitatem vestarm patrimoniumque seruauere.

Hæc in pauperes IVO, hi vero nihil in terris carius habere IVONIS vita, horrescere conditionis humanæ vices IVONEM mortalem reputando, in cuius mortalitate breues delicias, caduca gaudia, mortalemque suam flebant felicitatem; eius viuacitatem senectæ annis quisque suis fatorum emisset ab euaritia. Ereptus tandem ille flagrantibus votis miserorum fuit: Quot spes pendentes, quot pauperum vota, quot inchoata gaudia vno mors ictu fefellit? Vnius funus publica calamitas, publicus erat dolor, dixisses Numen quoddam abijsse de terris, cui tamdiu non arescentibus lacrymis parentabatur extincto. Sed abstergite lacrymas pauperes, abstergite ciues. Vsque adeo conferendis assueta beneficijs mens illa fuit, vt vel eius ossa, vel cineres morem retineant, felix anima curas habet priores, humani gene-

generis ſubuenire neceſſitatibus, expellere miſerias fugare morbos, indulgere felicitatẽ, & qualem putamus illum fuiſse cuius vel vmbra, vel cineres tamdiu fuere benefica.

Quo magi s æqum eſt vt non pauperes modo, ſed nos omnes IVONEM patronum parentemque adoremus: ſi recte calculum ducas inuenitur vbique paupertas, vbi mortalitas inuenitur: quis diues eſse poteſt vbi nuda mors, vbi neceſſitas omnibus imperat? Quamobrem & nos IVONEM parentem nominamus, & volumus, quia pauperes ſumus, quia ſumus infelices: Pauper eſt quiqumque poteſt eſse miſer: quantum ſcilicet deeſt illi, cui deeſt felicitas. Infelix eſt ille, pars eſt enim præſentis infelicitatis, extimeſcere poſse ne ſis aliquando infelix.

LAVS DEO.